Preuss, Henricus
De fabulis apud Bacchylidem

DE FABULIS APUD BACCHYLIDEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV MENSIS OCTOBRIS HORA XII

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

Henricus Preuss

INSTERBURGENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

Paulus Rhode, Dr. phil.
Felix Preuss, Coll. Frid. Praec.

REGIMONTI MCMII

TYPIS EXPRESSIT H. JAEGER.

PATRI
Dr. phil. hon. c.

MATRIBUS

UXORI

D. D. D.

SCRIPTOR.

Novissimo tempore ex Aegypti latebris copia codicum cum aliorum tum Graecorum adhuc ignotorum emersit, ut antiquum illud: „Quid novi ex Africa?" rursus iam non solum publice, sed etiam apud grammaticos valeat. Quibus pergrata obtulit munera Museum illud clarissimum quod dicitur Britannicum praeter Hyperidis orationes Aristotelisque rem publicam Atheniensium et Herondae mimiambos nuper Bacchylidis carmina haud ita pauca, quorum adhuc exilia exstabant fragmenta, ita ut Pindari aemulus nomine ipso et consanguinitate Simonidis exceptis fere ignotus plerisque esset.

Ac primus ex Musei Britannici opibus novissima aetate acceptis ut alia ita nuper Bacchylidis carminum partem superstitem Fridericus Kenyon et edidit et notis illustravit. Iam perspicere licet, quibus rebus Bacchylidem sane Pindarus superet, quibus Pindarum Bacchylides certe aequet. Neque enim adeo inferior Pindaro habendus est — qualem poëtam Ceum nonnulli iudicaverunt — qui cum viro Thebano comparari non debeat. Et scholiastae veteres ipsi hoc confirmant referentes inter Pindarum et Bacchylidem simultatem et quasi certamen poeticum fuisse. Hanc simultatem quidem nullam fuisse iam ante haec carmina inventa demonstravit vir Italus, L. A. Michelangeli [1]) et nuper ex carminibus poetarum Thebani et Cei accurate collatis docere studuit W. K. Prentice [2]). Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff car-

1) Della vita di B. Messina 1897, idemque: Dopo il B. pubblicato, ibid. 1898.

2) De Bacchyl. Pindari artis socio et imitatore. Diss. inaug. Halis Sax. 1900.

minibus quibusdam Bacchylidis in nostram linguam elegantissime conversis [1]), quanta illis carminibus vis poetica insit demonstravit, cum idem de poeta ipso magna quadam severitate iudicare videatur [2]). Rectius et aequius dicta mihi videntur, quae Jacobus Burckhardt de Bacchylide poeta disseruit [3]), quamquam carminum nuper repertorum iam non gnarus in fragmentis solis adhuc notis iudicium posuit. Quanti grammatici Alexandrini Bacchylidem aestimaverint, notum est, cum eum in canonem q. d. lyricorum reciperent, et Horatius cui iudicium et elegantiam denegare nequeas, illum et admiratus et imitatus est [4]), quamquam Pindarum maiorem neque aequandum censet. Et inest tantum pulchri in poetae Graeci carminibus ut profecto nobis quoque placere possit. Neque plane caret translationibus more poetico: pulcherrima imago aquilae super terras et maria volantis (5, 16 sq.), pulcherrimus locus iste, ubi Achillis ira cum mari intumescente et desaeviente comparatur [5]).

Sed aliud in medium proponere in animo erat. Haec enim carmina fabulis mythicis abundant. Quas antiquitus repetitas mirabili quadam arte narrandi in carmina sua inseruit et copiosius ornavit poeta. Maiorum carminum, quae quidem exstant, cum nullum fere tali fabula careat, etiam in nonnullis minoribus, vel in fragmentis mythos invenias.

Quos colligere operae pretium est, praesertim cum complures in mirum inusitatumque adhuc modum expressi tamquam plane novi nobis videantur.

---

1) Bacchylides. Berlin 1898.

2) Ibidem et Götting. Gelehrt. Anzeig. 1898, p. 158.

3) Griech. Kulturgeschichte, hrsg. v. Oeri, Bd. 3, p. 195. V. etiam Blass ed² praef p. XVI et H. Weil, Journal des Savants. Jan. 1898.

4) Hor. Carm I, 15 Scholl.

5) 13,53 sq. Cf. Jurenka, Ed. praef p. IX.

De Minoe et Dexithea. c. 1.

Atque iam ex fragmento, quod Fridericus Blasscuius ordinem in numerandis carminibus sequor[1]), in duabus editionibus ad carmen primum rettulit[2]), accuratius Ceae insulae, Bacchylidis patriae, origines cognoscimus. Poeta hoc carmine Argeum, puerum Ceum, in ludis Isthmiis victorem celebrat, cui propter Panthidae[3]) patris artem medicam et hospitalitatem, qua ille tamquam officium pietatis erga deos, maxime erga Apollinem praestitisset, ab Apolline victoriam esse tributam confabulatur. Istum deum in his carminibus prae ceteris numinibus saepe nobis occurrere non est cur miremur. Alio loco (16 [17] extr.) ut tutor et fautor poetarum a Bacchylide invocatur. Ceae enim deus non minus colebatur[4]) quam in ceteris Cycladibus, quarum media Delus erat, clarissima Apollinis et sororis sedes.

Hoc primo igitur carmine occasione data, cum gentem municipem praedicet, insulae patriae antiquitates poeta nos docet.

Ex illo enim fragmento, quod post aliquantam partem maximis lacunis mutilatam cum carmine Blass coniunxit, Minoem a Jove patre missum cum quinqua-

---

1) V. tamen Jurenka, Festschrift f. Th. Gomperz 1902, p. 220 sqq..

2) Cf. The poems of B. Facsimile of the Papyrus 733 in the British Museum. 1897. frg. 1a et 1b.

3) Jurenka patronymicum id esse verumque patris nomen a poeta omissum arbitratur.

4) Cuius rei documenta sunt nonnullae inscriptiones, v. Boeckh C. J. Gr. II, 2357, 2364—2367 et Le Bas-Waddington II s. Ceos init., nec non nummi v. Catalogue of the Greek coins in the Brit. Mus. Crete and the Aegean Islands p. 89, $_{12, 13, 39, 40, 41, 44-46}$ etc.

ginta navibus et magno numero virorum insulam Ceam adisse accipimus. Ibi

Διὸς Εὐκλείου δὲ (Γ)έκα-
τι βαθύζωνον κόραν
Δεξιθέαν δάμασεν·
καί οἱ λίπεν ἥμισυ λαῶν.

Ipse cum ceteris Cretam et Cnossum petit[1]). Illa autem iusto tempore peracto filium parit Euxantium, principem Ceae futurum, cuius ex nomine Bacchylides (c. 2) patriam *Εὐξαντίδα νᾶσον* appellat.

Neque vero integram de Minoe et Dexithea fabulam habemus. Cuius priorem partem strophis, quae antecedunt, immo antecesserunt, mutilis contineri demonstravit U. de Wilamowitz-Moellendorff[2]). Adfert enim locum e scholiis ad Ovid. Ibid. v. 475 excerptum: Usque ad illud tempus Telchinas[3]) rege Damone vel Damnone, Macelonis[4]), Dexionae[5]) aliarumque filiarum patre, insulam tenuisse. Eos autem cum oculis invidis segetes ceterasque agrorum fruges fascinarent et corrumperent, a Jove[6]) ad unum omnes fulmine interemptos esse. Solas regis filias servatas esse, quia summum deum antea benigne et hospitaliter excepissent. Quibus gratum facturus Juppiter Minoem misisse dicitur, cui Dexithea nuberet.

1) Monet hoc nos illius fabulae a Friderico Rückert ex Persarum litteris repetitae: „Rostem et Suhrab", ubi Rostem aeque ac Minos advena et hospes gratus post nuptias factas statim uxore relicta discedit.

2) Gött. Gel. Anz. 1898, p. 127, itemque Ellis, Class. Rev. 1898, p. 66.

3) Cf. de Wilamowitz-M. l. l. et Preller-Robert, Griech. Mythol. I,[4] p. 605 sq. V. autem Bacchylid. ed.[2] Blass frgm. 52 [69].

4) Cuius nomen Blass ex fragmentis carminis Bacchylidei recognovit.

5) Hanc enim vel Dexithoen appellat schol., quare Jurenka etiam in his scholiis Dexitheam emendandam censet.

6) Cf. Nonnus Dionys. $18_{,35}$ et ad hunc loc. de Wilamowitz-M. l. l.

Brevissime de Dexithea et Euxantio Apollodorus III, 1, 2, 5 rettulit[1]). Recte mihi quidem U. de Wilamowitz-M. animadvertisse videtur, in antiquissima fabula Jovis ipsius, quem Dexithea recepisset, filium Euxantium fuisse; a posterioribus demum fabulam ad Minoem revocatam esse, quippe qui Cycladas omnes incoluisse traderetur[2]).

Duplex igitur ratio intercedit inter victoriam, quam poeta hoc carmine celebrat, et hanc fabulam, cum et Ceus sit victor et palmam — immo vero apii coronam ut in Isthmiis — quasi praemium hospitalitatis paternae tulerit, sicut Dexithea pro Jovis hospitio servata nobilissimique regis uxor facta est.

De Theseo et Minoe. C. 16 (17).

Longe alius existit Minos in carmine, quod inscriptum est *Ἠΐθεοι ἢ Θησεύς* [3]). Cum in fabula illa Cea iussu Jovis adiutor et vindex Dexitheam consolaturus adveniat, hic crudelis Atheniensium vexator describitur. Ecce carminis argumentum.

Minos cum pompam tristem iuvenum et puellarum Atheniensium [4]) comitante Theseo ipse in Cretam veheret,

---

1) De Mileto, Euxantii filio, et de Euxantidis, gente Milesiaca, accuratius disseruit Jebb (Melanges Henri Weil. Paris 1898, p. 225, I.) Neque auctori assentior ex Apollodori silentio suspicanti Euxantii nomen ab Euxantidis ipsis demum effictum esse, ut divo atavo gloriari possent. Nempe eiusmodi fabulae — nostro sermone: Stammsagen — cum ultra ipsam regionem parum notae fuerint, a scriptoribus raro commemorantur.

2) V. Thucyd. I, 4, 1 et alibi. Cf. Roscher II, 2997.

3) Nescio an cum Friderico Kenyon *καὶ* pro *ἢ* scribendum sit.

4) De usitato, ut videtur, victimarum humanarum numero septenario v. etiam, quae Schoemann, Griech. Altertümer II[4] p. 540 et Preller-Robert l. l. p. 170[2] de Junonis Argivae cultu attulerunt. V. etiam Roscher, Philologus 60. 1901 p. 360 sq.

amore Eriboeae[1]), unius ex puellis, incensus temperare sibi non potuit, quin teneram eius genam attingeret. Quod cum vidisset, Theseus a virgine imploratus Minoem hoc facere vetuit, se non minus quam illum deo prognatum esse glorians. Tum Minos Jovem patrem precatus, ut fulguris signum sibi caelo demitteret, anulo in mare abiecto Theseum desilire iussit. A Neptuno patre, si modo pater esset, anulum repeteret. Tunc cum Juppiter tonuisset, Theseus in mare se proiecit magno cum terrore et clamore suorum ne nunquam rediret metuentium. Dum vero navis undas dissecat, delphini illum domum patris tulerunt. Ibi ab Amphitrita, patris uxore, benigne exceptus pallio purpura tincto et corona rosis splendida, quam ipsa olim a Venere dono acceperat, donatus est. Quibus donis ornatus cum ex undis emergeret, Athenienses laetabantur, Minos aegre ferebat. — Sequitur qui est finis carminis, invocatio Apollinis.

Atque satis novi praeter rem ipsam in hoc carmine miramur. Ex omnibus enim fabulis a Bacchylide allatis haec tota quasi plane nova exstitit, cum nisi ex mythographorum quibusdam locis[2]) et ex vasis nonnullis fictilibus vix nota fuerit. Et ab utrisque forma fabulae, qualem Bacchylides praebet, valde differt. Ac primum quidem Theseum Neptuni, non Aegei filium dici iam satis notum est. Si quidem Aegeus[3]) antiquissimis temporibus ab Atticis et vicinis civitatibus oram incolentibus deus maris et habebatur et colebatur, postea, cum Neptunus in locum eius succederet, heros factus est, ita, ut Theseus modo Neptuni modo Aegei[4])

1) Alia eiusdem nominis puella, Telamonis uxor et Aiacis mater, a Bacchylide c. 12 (13), v. 102 commemoratur. Postea eandem esse finxerunt poetae.

2) Paus. I, 17; Hygin. Astron. II, 5.

3) De forma nominis Aegei v. Preller-Robert l. l. p. 569.

4) Ut in insequenti Bacchylidis carmine Theseus Athenas ad Aegeum patrem adveniens fingitur.

filius appellaretur. Quas duas sententias quomodo inter se conciliare veteres tentaverint, diserte in Roscheri onomastico mythologico s. v. Aegeus tractatum est. Magis mirum nobis videtur, quod Minos ipse manum iuvenum Athenis in Cretam vehit. Eius quoque rei testes adferre licet Pausaniam (I, 17, 3) et Plutarchum (Thes. 17), cui si fides habenda est, Hellanicus Minoem ipsum Athenas venisse, ut victimas eligeret, memoriae tradidit.

Deinde Theseus a delphinis in patris domum submarinam fertur. Quis est, quem hoc non Arionis moneat? Delphinus autem bestia Apollini sacra est: *Ἀπόλλων Δελφίνιος* et *Ἄρτεμις Δίκτυννα* satis noti sunt, quos deos marinos principio fuisse haec cognomina docent. Caput Apollinis et delphinum figurae etiam in nummis Cei insulae conspiciuntur[1]). Et poeta totum hoc carmen in honorem Apollinis composuit. Tum miramur neque Neptuni neque anuli ultra mentionem fieri et Theseum cum Amphitrites muneribus reverti.

Optime et subtiliter de his rebus Carolus Robert[2]) disseruit. Docet Euripidem eandem fabulam in tragoedia conficienda usurpasse; Miconem pictorem Athenis in Theseo parietem unum eadem re ornasse iam ex Pausania (l. l. v. supra) satis notum esse. Apparere autem fabulam aetate Bacchylidis et postea notissimam Atheniensibus et quasi familiarissimam fuisse. Cuius rei

1) V. Catalogue of Greek coins in the Brit. M. Crete etc. p. 89 sqq. et Imhoof-Blumer, Abhandlgg. d. Bayr. Ak. d. Wiss. Philos.-philol. Kl. Bd. 18. 1890 p. 536: Carthaea emporium Cei in insula situm delphinum in nummis gestat. Etiam apud Macdonaldium, Catal. of Greek coins in the Hunter. coll. (Univ. of Glasgow) Vol. II p. 203 nummum Ceum cum capite Apollinis reperias. Apollo ipse speciem delphini induisse dicitur. De hac re et de delphino pisce sacro et miro v. Usener, Religionsgesch. Untersuchgg., 3. Sintflutsagen p. 138 sqq.

2) Hermes, Vol. 33. 1898.

documenta Robert complures vasorum picturas adfert, e quibus ad Bacchylidem interpretandum maximi momenti sunt tria, amphora, quam „Vase Tricase“[1]) vocant antiquitatum investigatores, et crater Bononiensis[2]) et patera ab Euphronio facta[3]), nunc Lutetiae Parisiorum condita.

Atque in crateris Bononiensis pictura partem tabulae, quam supra commemoravimus, Miconis deperditae nobis praesto esse Carolus Robert ante hos paucos annos collato Pausaniae loco I, 17 demonstravit[4]). Haec pictura omnium maxime cum carmine Bacchylideo consentit. Conspicitur Amphitrite regina cum sceptro in solio sedens, coronam illam inclutam manibus tenens et Theseo praebens; conspicitur Theseus plane nudus admodum adolescens — puerum existimes — genua Amphitrites complectens, crinibus ob Nereidum speciem insuetam et splendidam stantibus:

τόθι κλυτὰς ἰδὼν
ἔδεισε Νηρῆος ὀλ-
βίου κόρας·

Is a Tritone complexu quasi infans tenetur. Et adest turba Nereidum, adest etiam Neptunus in lecto accumbens et tridentem gestans. Delphines prorsus desunt. Apparet etiam prora navis Creticae et insuper omnia tamquam in aethere Phoebus quadriga vehens.

Cui vasi non ita dissimilis, quoad ad rem ipsam pertinet, Euphronii patera est. Ibi autem Theseus

---

1) Cf. Röm. Mitteilgg. IX, T. 8.

2) Cf. Monum. del Inst. Suppl.-Bd. 21. Etiam Robert l. l.

3) Cuius exemplar egregium, quo melius adhuc non fuit, nuper nobis praebuerunt Furtwängler et Reichold, Griechische Vasenmalerei, München 1901, Fasc. 1, Tab. 5. Antea publicata est Wiener Vorlegeblätter, Serie 5,1 et Monuments inédits pour l'encouragement des étud. Grecques en France T. 1. 2.

4) Die Nekyia des Polygnot. Hall. Winckelmannsprogr. 1892

tantum sago brevi amictus et gladium e latere laevo suspensum gestans porrectam Amphitrites in sella sedentis dextram prehendit, cum haec coronam illam clarissimam altera manu teneat Theseo datura. Triton humi iacens iuvenem stantem manibus supinis portat. In media vero pictura, tamen post Amphitriten et Theseum, artifex ut Atheniensis Minervam Thesei adiutricem collocavit. Delphini natantes ceterum paterae spatium complent, ut non dubium sit, ubi res agatur. Adde quod pictor personae nomen suum cuique adscripsit.

Quod in hac re maxime miramur, Theseus non a Neptuno anulum Minois, sed ab Amphitrite coronam et — apud Bacchylidem — pallium [1]) purpureum accipit. In unius quidem amphorae, „Tricase" q. d., pictura Theseus anulum manu tenere videtur, neque vero hoc l. l., Röm. Mitteilungen IX., 8 satis certo cognoscere potui; apud Hyginum anulus a Nereidibus Theseo redditur, in ceteris locis neglegitur. De hac re Roberti verbis uti liceat (Hermes l. l. p. 138): „Von dem Ring ist bei Bacchylides nicht mehr die Rede, ebenso fehlt er . . . . nicht nur auf dem Bologneser Krater, sondern auch auf dem Pariser [2]) und bei Euphronius. Mit vollem Recht. Neben dem Geschenk der Amphitrite ist er völlig bedeutungslos geworden; er hat seine Schuldigkeit gethan; den mit dem leuchtenden Kranz aus den Fluten auftauchenden Theseus braucht Minos gar nicht zu fragen, ob er auch den Ring wiederbringe. Der Beweis der

1) Ni cum A. Ludwichio (Vorlesungs-Verzeichn. Königsberg S. S. 1898) potius *ταινίαν* legendnm erit quam *ἀϊόνα*, vocabulum adhuc prorsus ignotum. At in ectypo hic supra lectionem dubiam vestigia ut litterae *Θ* manu altera adpositae conspici posse mihi videntur. Vocabulum quidem *αἰθών* vel *αἴδων*, verbo *αἴϊθω* derivatum fuisse vestem splendidam significans, vix credibile.

2) Cuius quidem exemplar h. t. praesto mihi non fuit.

göttlichen Herkunft ist unwiderleglich geführt. Was aber der Dichter sich erlaubte, konnten die Maler um so mehr, als der unscheinbare Gegenstand im Bilde nur zu leicht übersehen werden konnte und in keiner Weise geeignet war, den Brennpunkt der Situation zu bilden".

Quodcum corona ista clarissima tamquam caput totius fabulae sit, certe et poetae et pictori anulum omittere licuit. At poetae nescio an etiam aliam ob causam hoc licuerit, licentiam epicam dico. Sunt eiusmodi exempla apud Homerum [1]) aliosque poetas, cum interdum aperte non enarrent, quae evenisse perspicuum est. Theseum igitur anulum a Neptuno — Hyginus l. l. a. Nereidibus dicit — accepisse putandum est: cum vero corona maioris vel maximi momenti sit ad fabulam excolendam, Bacchylides epicorum more anulum redditum silentio praeteriit [2]), Pausanias vero Theseum *σφραγῖδά τε ἐκείνην ἔχοντα καὶ στέφανον χρυσοῦν . . . ἀνελθεῖν λέγουσιν* l. l. ait.

Neglegitur etiam Neptunus: quem neque poeta commemorat neque Euphronius in patera collocavit. scilicet ob eandem causam, quam Robert de anulo attulit. Nec mirum: maioris enim momenti esse dicit, quod Amphitrite noverca, cuius genua Theseus in cratere Bononiensi tamquam supplex complectitur, privignum nothum benigne excipiat. Eodem pertinere, quod in vasorum picturis duabus Triton, legitimus Neptuni et Amphitrites filius, Theseum manibus portet. Ea re Theseo iustum ac debitum honorem reddi: sic enim fabulam esse conversam, ut Atheniensibus gratum fieret.

1) V. Faesi ad Jl. IV, 490. XVII, 531.

2) Neque Theseum „*χαλκοθώρακα*" vestem exuisse B. dicit, id quod ex pictoribus unus Mico secum reputasse videtur: in uno cratere Bononiensi Theseus nudus apparet.

Atqui apud Bacchylidem non Triton, sed delphini Theseum patris domum vehunt: de hac re mirari sese ait Robert, quod poeta pro Tritone delphinos posuisset (l. l. p. 142 extr.), quod contra Sam Wide [1]) delphinos Apollini, cuius in honorem carmen compositum esset, sacros fuisse, quin etiam Apollinem ipsum antiquitus in formam delphini effictum esse demonstravit. Illud unum discrimen inter Bacchylidis carmen et Miconis picturam est: ceteris rebus pictor et poeta inter se consentiunt.

Robert in illis picturis chlamydem purpuream, alterum Amphitrites donum, esse omissam et in patera Euphroniana coronam deesse observavit l. l. p. 143: „Wenn bei dem ältesten Zeugen Euphronius der Kranz fehlt, so darf daraus nicht gefolgert werden, dass ihn die Sage damals noch nicht kannte". At in novissima, quam supra commemoravimus, editione picturae Euphronianae corona in sinistra manu Amphitrites manifesta [2]) est, cum dextram salutans Theseo porrigat. In eadem patera Theseum pallio amictum esse iam diximus. Id vero num ab Amphitrite iam accepisse putandus sit, dubium est, praesertim cum et gladium gerat. Certe coronam, fabulae caput, Euphronius noverat et pinxit.

Qualis igitur fabula aetate Euphronii, i. e. tempore pugnae Marathoniae, paulo post Miconis et Bacchylidis fuerit, satis apparet. Neque tamen antiquissima mythi forma ea existimanda est. Tota enim fabula momentis constare videtur, quorum nonnulla in fabulis totius fere generis humani nobis occurrunt. Ut anulum in aquam abiectum mirumque in modum reportatum plus una fabula vel Germanorum antiquitatis habet, cuiusmodi nos dicimus „Märchen", ubi quis rem pretiosam unquam

1) Theseus und der Meersprung bei Bacchylides. (Festschrift f. O. Benndorf. Wien 1898 p. 19.) Ceteroqui de saltu ipso Sam Wide cum Crusio (Philolog. 1898 p. 173) consentit.

2) Furtwängler et Reichhold v. s.

redire vel desperat vel non cupit [1]). Et cui Polycratis hic non in mentem venit? Quare Roberto l. l. p. 133 iudicanti: „Hingegen trägt die Ausmalung, wie Theseus auf den Grund des Meeres gelangt, durchaus den Stempel freier dichterischer Erfindung“ de rixa eiusque causa quidem adsentior, de anulo adsentiri nolim.

Alterum quiddam Robert antiquitus coronam Theseo ab Ariadna, non ab Amphitrite esse datam et apud Athenienses Euphronii fere aetate demum hanc in illius locum successisse suspicatus est l. l. p. 146.

Ariadna enim dea partim Veneris partim Amphitrites similis fuit [2]), quam antiquissimis temporibus non solum in insulis maris Aegaei, sed etiam in constinenti prope Euboeam et circa sinum Maliacum honoribus divinis cultam esse constat. Ut sacrum eius in Locris Opuntiis fuit.

Ab ea, cuius in antiquissimis fabulis corona illa pulcherrima est, sive Bacchus maritus nuptiis in Creta celebratis sive Venus et Horae dono nuptiali dederunt, Theseus coronam accipit, cuius splendore, si Hygini l. l. auctoritatem sequimur, per ambages labyrinthi una cum pueris et puellis ducitur et servatur: eadem ex illo tempore caelo adfixa sidus pulcherrimum lucet. Si modo haec vetustissima fabulae forma est, postmodo Theseus coronam ab Amphitrite acceptam Ariadnae. mortali Minois filiae, dedisse fingitur. At satis dubium est, utrum Ariadna an Amphitrite prior fuerit.

Posteris etiam temporibus fabula, qualem Bacchylides effinxit, viva quadam memoria hominum servatur, ut Hyginus Astron. II, 5 omnium scriptorum maxime cum

1) v. Liebrecht ad Gervasium Tilb., Otia Imperialia p. 77 sq. — Similia ex Indorum fabulis adfert Warren, Hermes 29, p. 478.

2) Plura de Ariadna dea et de corona v. Preller-Robert pp. 680, 682 et ibid. adn. 2 et Roscher s. Ariadne.

poeta consentit. Neque tamen hunc secutus esse putandus est, sed medium inter eos fuisse Hegesianactem Robert demonstravit (l. l. p. 147). Differt autem Hyginus a Bacchylide, quod sex praeter Theseum pueros septemque puellas dicit, ut Theseus ipse in numero victimarum habeatur. Quodsi res sic narratur, satis intellegimus Minoem non habuisse, cur Theseum una vehi prohiberet. Quid vero apud Bacchylidem? Non satis liquet, quam ob rem Minos nihil suspicatus Theseum secum ducat, cum numerum miserorum iam compleverit. Quid? Nonne res a iuvene praeclare gestas audivit? An ab illo nihil cavendum esse opinatur? Certe Theseus captivus regis apud Bacchylidem putari nequaquam potest, quippe quem poeta *χαλκοθώρακα* appellet. Accedit, quod etiam apud Proclum (Chrestomath. p. 249 Westphal) Theseus *ἑκούσιος ὑποστὰς τὸν εἰς Κρήτην πλοῦν* cum Minoe proficiscitur. U. de Wilamowitz-M. quidem pro ratione metrica *λινοθώρακα* ut de Jonici generis homine legendum censuit (Gött. Gel. Anzeig. 1898, p. 139): „Es ist ganz sinnlos: Theseus ist der Gefangene des Minos und fährt ruhig über das Meer: wie sollte er gewappnet sein? Und wann legte er den Panzer ab, um ins Meer zu springen?" At difficultate metrica a Blassio (ed. II) sublata non est, quod *χαλκοθώρακα* reiciamus. Neque enim illum loricam exuisse expressis verbis dici oportuit [1]).

Parum igitur perspicuum est, cur Minos eum una proficisci non prohibeat. An in itinere demum Minoi suspicionem venisse putandum est iuvenem sibi detrimento fore? Quodsi res ita se habet, grata ei rixa supervenit, cum illum, simulac desiluerit, nunquam rediturum speret. Num hoc cupere videtur? Videbatur, dum priorem Blassii editionem ante oculos habebam v. 86 sq.

---

1) Cf. p. 14, adn. 1 et 2.

Si quidem Minos navem vento secundo incitari iubet, unum mihi consonare non videbatur verbum τᾶκεν, cum τάφεν rectius legendum censerem, quod neque nimis a papyri ectypo neque a ratione metrica abhorret. In altera vero editione Blass locum ita mutavit, ut Minos admiratione et misericordia commotus navem cohiberi iubeat. Hic τάφεν reposuit editor, id quod valde miror. Sententia enim loci totius sic conversa τᾶκεν restituendum arbitror, praesertim cum id ex ectypo, quantum video, etiam melius cognosci posse videatur. Sed haec hactenus. Maioris momenti est, quod notissima fabulae forma a Bacchylide maxime differt: Minos ipse victimas Athenis in Cretam ducit; navis Cretica, non Atheniensium est; nihil de Aegeo lugente reditumque filii exspectante, nihil de velis nigro et albo: τηλαυγές, late nitens, poeta velum appellat. Sequitur, ut recentioris aetatis commenta sint, Theseum navi Atheniensium esse profectum et Aegeum velo nigro conspecto de ripa in mare sese proiecisse.

Quodsi neque singula fabulae momenta inter se consonant et fabula alio loco aliaque temporis aetate aliter narratur [1]), Bacchylidem antiqua fabulae forma, fortasse antiquissima usum esse iudicandum est, nisi forte Theseus coronam illam splendidam primitus ab Ariadna, non ab Amphitrite accepit [2]).

Jam restat, ut unum adferamus, quod commemoratione dignum videtur. Bacchylides enim hoc carmen confecit, cuius modis Ceorum iuventus Deli in insula chorum celeberrimo illi, cui γέρανος cognomen erat, Atheniensium similem in honorem Apollinis saltaret, id quod ex extremis carminis versibus intellegitur. Hunc γέρανον autem, quem Theseus prospere redux Deli instituisse

1) Quod utrumque summae antiquitatis documento esse solet, ut in Germanicae nationis fabula „Nibelungen".

2) Preller-Robert l. l.

dicitur [1]), in amphorae pulcherrimae a Clitia et Ergotimo confectae, quam „François-Vase“ dicunt, zona summa conspicimus [2]). In ea vero pictura Theseus chorum ducens cum Eriboea fingitur, virgine illa, quam unam ex omnibus Bacchylides hoc nostro carmine nominat, cum rixa inter Minoem et Theseum de illa oriatur, et adstans Ariadna chorum saltantium spectat, „ganz wie die Göttin, der die Huldigung gilt“. (Preller-Robert l. l. p. 683, adn. 2.). Quod Kenyon hac pictura fabulam Bacchylideam significari suspicatus est, hoc cum primo obtutu refelli videtur, tum a Roberto l. l. (Herm.) p. 414 accurate refutatum est.

At vetustissimam esse fabulam eadem amphora nos docet aetate Pisistrati vel iam antea confecta. Neque enim Eriboeae solum et Theseo, sed omnibus figuris saltantium nomina sunt adscripta. Quae nisi ex vetere quodam carmine epico artifices petiisse non possunt. Carmina eiusmodi autem versibus hexametris confecta, unde Atthidas profectas esse apparet, in Attica pervulgatissima fuisse illa nomina ipsa testantur. Et Bacchylides, quem diu Athenis vixisse constat, ea carmina noverat proinde ac si Atheniensis natu fuisset. Ex tali carmine etiam Theseidem quandam, quae pars cycli q. d. epici fuit, fluxisse puto.

Quodsi carmen nostrum spectamus, fabula mihi quidem duabus partibus principio non cohaerentibus, duabus ergo fabulis in unam confusis constare videtur, quarum altera Thesei saltum marinum [3]), altera Minoem victimas abducentem continebat. Tamen quin hae iam antiquissimis temporibus contaminatae fuerint, dubitari non potest.

---

1) Eadem de causa Athenienses Delphinia celebrare dicebantur. Cf. Schoemann l. l. p. 470; Preller-Robert l. l. p. 260.

2) V. Furtwängler-Reichhold l. l. Fasc. 1 et 2.

3) De saltu marino v. Sam Wide l. l. et Crusius l. l.

Iam ut pauca de Minoe adferamus, Idomeneus (Hom. Il. XIII, 450) Minoe atavo gloriatur. Idem in scholio ad Il. XII, 292, quod ex Hesiodo, fortasse ex Eoeis excerptum esse verisimile est, commemoratur. Quod cum ab Homero et ab Hesiodo rex ille antiquissimus quasi exemplar boni principis ac iusti repraesentetur, quem quidem Graeci vel apud inferos iudicis munere fungi opinabantur, eundem postea Atthidum scriptores crudelissimum finxerunt, quia Atheniensibus victis tributum illud foedum imposuisse dicebatur. Quo factum est, ut hanc duplicem fabulae rationem quadamtenus etiam apud Bacchylidem reperire nobis videamur: in fabula Cea (c. 1), quae sive fama populari Ceorum sive hymno insulae proprio servata erat, Minos clemens Dexitheae et sororum adiutor, in altera (c. 16 [17]) severus Atheniensium victor victimas trans mare ducit. Tamen ne hic quidem clementia plane caret, cum miserere eum Thesei undis submersi videatur. Saevum dirumque Minoem depingere poeta Ceus fortasse veritus est.

Quibus autem carminibus per incolas maris Aegei cantatis res gestae Minois celebratae sint, explorari iam nullo modo potest.

Miram rem de Minoe et Theseo Zenis vel Zeneus (apud Athenaeum 13,601 f [Kaibel]; Frgm. hist. Gr. IV, 530) memoriae tradidit. Minos amore Thesei captus simultatis cum Athensiensibus finem fecisse et Theseo Phaedram filiam in matrimonium dedisse dicitur.

De Theseo. (Theseus alter, c. 17 [18]).

Omnium Bacchylidis carminum maxime nos movet alterum, quo Theseus celebratur. Neque tam propter rem ipsam quam propter formam nos movet, cum materies ipsa notissima sit. Carmen autem amoebaeum est vereque et maxime nomine dithyrambi [1]) dignum, cuius

1) V. infra sub finem disputatiunculae.

generis ante Bacchylidem repertum integra non exstabant exempla.

Choro enim civium Atheniensium trepidanti et interroganti Aegeus rex adversus stans respondet, sive solus sive alterius chori princeps, quem *κορυφαῖον* dicebant Graeci. Perterriti cives — hi enim esse videntur, quamquam poeta suis verbis non expressit — interrogant, quid novus tubae sonitus sibi velit. Aegeus praeconem venisse dicit, qui res valde miras rettulisset. A viro quodam ignoto Sinim praedonem superatum, suem Cremmyoniam domitam, Scironem, Cercyonem, Procoptam latrones interemtos esse. Inde cum ex rege quaerant, quis tandem ille sit, utrum cum exercitu an solus et inermis veniat, Aegeus eum cum duobus comitibus appropinquare respondet, gestare gladium manubrio eburneo ornatum, hastas duas, galeam Laconicam, indutum autem esse tunica purpurea et chlamyde Thessalica. Oculos ignis instar splendere, ipsum admodum adulescentem, paene puerum esse et Athenas petere.

Hic colloquium praeciditur et carminis finis est. Quae Theseus gessit, eodem fere ordine etiam ab aliis scriptoribus narrari solent, nisi quod primam pugnam cum Periphete clavigero Epidaurio factam esse auctores sunt Plutarchus (Thes. c. 8 sq.) et Diodorus (IV, 59). Eam vero pugnam multo post Bacchylidem demum Theseo tributam esse Robert observavit l. l. p. 149.

At de loco singulari vv. 27. 28. sententiae inter se discrepant:

> *τάν τε Κερκυόνος παλαίστραν*
> *ἔσχεν Πολυπήμονός τε καρτερὰν*
> *σφῦραν ἐξέβαλεν Προκό-*
> *πτας, ἀρείονος τυχὼν*
> *φωτός.*

Procoptam et Procrustem idem nomen esse ex etymo satis apparet. Quis vero Polypemon est? Eidem latroni, quem Plut. Thes. 11 et Apollodor. epit. I, 4 Damastem appellant, Apollodorus cognomen, Pausanias I, 38,6 nomen Polypemoni fuisse referunt. Et apud Apollodor. III, 16,2 et Schol. Eurip. Hipp. 977 pater Sinis Polypemo appellatur, id quod Robert per errorem factum esse arbitratur. Certe nomen sive cognomen unius ex maleficis istis est. Atque hunc nostrum locum quamquam Blass interpunctione post *σφῦραν* posita sic immutare studet, ut Polypemo et Procoptas eandem personam significent — quale: Theseus Cercyonis palaestram et malleum Polypemonis obtinuit; Procoptas a meliore devictus abiecit — tamen ego quidem cum Kenyone, Roberto, Jurenka, aliis sic intellegendum censeo: Polypemonis malleum Procoptas abiecit. Nam et *ἔσχεν* hoc loco potius ad *παλαίστραν* quam ad *σφῦραν* pertinere existimo. Aliter igitur locus intellegendus non videtur, quam ut ante Procoptam in Polypemonis cuiusdam manibus malleum fuisse existimemus. Jam si quaerimus, quis sit Polypemo, Robert quidem l. l. p. 149 censet: „Bei Bacchyl. . . . kann Polypemon weder auf Prokrustes selbst noch auf dessen Vater gehen. Es lässt sich nur mit *σφῦρα* verbinden „den starken Hammer des Polypemon liess Prokrustes fallen." Dies lässt eine doppelte Auffassung zu: entweder ist Polypemon der Verfertiger des Hammers, also ein sonst nicht bezeugter Schmiededämon, wie Hephaistos und Palamaon, oder es ist der frühere Besitzer des Hammers, der sich dann auf irgend eine Weise vererbt haben müsste." At nomen ipsum magis vexatorem hominum malignum quam fabrum significare videtur. Et Ovidius, nisi forte hoc ex Bacchylide sumpsit, Ib. v. 407:

Ut Sinis et Sciron et cum Polypemone natus

dicit. Adde quod et alii Polypemonem patrem unius ex his

latronibus a Theseo victis appellant. Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus Procoptae patrem Polypemonem putemus, cuius nomen postea in filium transierit. Cf. Robert l. l. et Jurenka in hunc locum.

Valde memorabile est, quod Ister in quarto decimo Atticorum libro (apud Athenaeum 13,557 a [Kaibel]; Frgm. hist. Gr. I, 420) inter uxores a Theseo raptas non solum Ariadnam, sed etiam Cercyonis et Sinidis filias commemoravisse dicitur.

De duobus comitibus Thesei, quos Phorbam et Perithoum esse apparet, Robert l. l. p. 150 copiose disseruit et varias vasorum picturas attulit, in quibus illi vel duo vel unus conspiciuntur.

In patera Cachrylionis cum Theseo Antiopam, in aliis vasibus Helenam rapientes conspiciuntur (Gerhard Auserl. Vasenb. 167), in aliis Theseo Sinim et Procrustem superanti adsunt (Archaeol. Zeitg. XXIII. 1865 T. 195), in aliis et multis Perithous solus Thesei adiutor est. Profectam autem Bacchylidis versionem ex vetustiore carmine epico puto, de quo genere in superiore fabula tractanda disserui. Quae carmina cum Atheniensibus notissima essent, nomina heroum, quippe quae Aegeo nota esse non possent, poetae omittere licuit.

De Meleagro et Hercule. (c. 5)

Quo loco de Theseo disputavit (Hermes 1898) Robert, eodem fabulam aliam paene ignotam adhuc et memorabilem perscrutatus est, quam Bacchylides de Meleagro et de Hercule memoriae tradidit.

Poeta cum mortalibus non omnia prospere evenire neque semper secundam fortunam favere dicat, eius rei exemplum adfert Meleagrum. Hercules, id quod quidem notissimum est, cum ad inferos descendisset in Proserpinae regiam Cerberum ablaturus

... *ἐς φάος ἐξ Ἀΐδα,*

defunctorum animas ibi versantes vidit, velut ventus

folia arida circumagit et vertigine turbat. Cum vero Meleagri adversi stantis umbram armorum decore nitentem subito conspexisset Jovis filius, arma ad pugnam deprompsit. At ille, cum Herculem non ignoraret, monuit, ne quid mali vereretur neve arcum in umbras tenderet. Obstupuit Hercules et ex altero quaesivit, quis talem genuisset et quis virum tanti roboris tantaeque audaciae interfecisset. Tum Meleager iniquitatem deorum miseratus cum lacrimis enarravit, qui exitus suus fuisset. Cum Diana aprum in agros Calydonios immisisset, ut neglectam se ab Oeneo, Maleagri patre, ulcisceretur, optimos fortissimosque Graecorum undique convenisse, ut bestiam interficerent. Postquam verris dentibus interempti Ancaeus et Agelaus, Meleagri frater, perissent, monstrum hastis venatorum occisum esse. Dianae iram autem nondum placatam fuisse: proelio de pelle apri exorto Aetolos et Curetes decertasse. Quo in certamine cum Iphiclum et Apharetem, matris fratres, Meleager pro portis Pleuronis, Curetum urbis, ardore pugnae incensus et tamquam invitus necasset, Althaeam matrem fratres magna voce deplorantem sibi filio taeda, quacum vita ipsius coniuncta fuisset, combusta mortem paravisse. Eam taedam mortiferam a matre olim in arca depositam esse, cum Parcae vitam Meleagri modo nati deleta taeda perituram vaticinatae essent[1]). Subito cum Clymenum a se occisum spoliaret, corporis vires defecisse et moribundum in media victoria sese concidisse:

αἰαῖ· πύματον δὲ πνέων δάκρυσα τλάμων
ἀγλαὰν ἥβαν προλείπων.

Tum semel misera fortissimi viri sorte commotus Hercules lacrimas fudisse[2]) dicitur et clarissimum illud dixit:

1) Preller-Robert, p. 533.

2) Cf. Radtke (Hermes 1901 p. 68 adn. 1) et Blass (ibid. p. 274.)

θνατοῖσι μὴ φῦναι φέριστον
μήτ' ἀελίου προσιδεῖν φέγγος.

Deinde cum Hercules ex altero quaereret, sororemne domi sui similem reliquisset, quae sibi nuberet, ille Deianiram dixit.

Atque Bacchylidem, cum hactenus rem enarret antiquissimam fabulae formam non tradidisse primo obtutu apparet. Quae qualis fuerit, ex Pausania X, 31, 2 cognoscimus, ubi Neyiam Homericam a Polygnoto in lescha Delphica pictam describit[1]). Apud Homerum enim, Jl. IX, 566, quem locum Pausanias laudat, scriptum videmus, Meleagrum mortuum esse, quod Furia[2]) Althaeae filium devoventi obsecuta esset. At alia duo carmina epica, Eoeas et Minyadem, consentire, heroem ab Apolline, Curetum vindice, interfectum esse. Denique taedam illam a Phrynicho primo in tragoedia sua, quae „Pleuroniae" inscripta esset, adhibitam esse: hoc autem ex fabula Graecis id temporis pervulgatissima desumptum videri ait Pausanias. Qui cum de Homero verum scripserit, etiam de aliis carminibus epicis fides ei habenda esse videtur. Profecto apud Homerum de ipsa morte Meleagri nihil reperimus. „Bien qu'il ne dise pas ensuite précisement, comment Méléagre mourut, cela résulte implicitement de ce passage: il devait, selon la légende ici visée, périr de la main des dieux" ait Mauritius Croiset[3]). Aetate Homeri hic illic perniciosus ei iam Apollo fuisse putari potuit (cf. Kuhnert in Roscheri lex. myth. p. 2593), quam quidem opinionem primam fuisse nego. Aliter Robert (Herm. l. l. p. 157): ... vermag ich mit diesem wirksamen Fluch der Mutter —

1) De hac tabula v. Robert, die Nekyia des Polygnot. Hall. Winckelmannsprogr. 1892.

2) Ἐρινύς—unam dicit Homerus. Cf. Preller-Robert p. 835 extr.

3) Melanges Henri Weil p. 78.

apud Homerum l. l. v. 571 — weder das Eingreifen des Apollon . . . zu vereinigen, da dann der Gott zum blossen Werkzeug der Althaea herabsinkt, noch das Scheit, da dieses den Fluch überflüssig macht." Quid, si Apollo nequaquam matri devoventi, sed Furiae deae oboedivit? Plus semel superi facere coguntur, quae a numinibus fata deorum hominumque regentibus imperantur: ut *παρὰ μοῖραν* agere ne dis quidem licet. Ac taeda cum exsecratione matris discrepare videtur [1]). Quare iam primitus fabulam fuisse censeo, Meleagrum taeda illa funesta interisse. Eiusmodi opiniones existimantium vitam vel valetudinem et robur corporis vel omnino fortunam sortemque hominum cum rebus quibusdam certis coniuncta connexaque esse, in fabulis omnium nationum et antiquissimis et mediae aetatis temporibus saepius occurrunt; ne nostra quidem aetas tali superstitione caret: incantationes anuum rusticarum commemorare liceat. Et est hominis, ut odio vel amore commotus etiam facultatem nocendi vel iuvandi sibi cupiat et vindicet, unde superstitio illa orta est. Recte de hac re mihi Kuhnert l. l. p. 2594 iudicasse idemque probabili ratione demonstrasse videtur, cur Homerus taedam omiserit.

Sequitur, ut taeda iam in antiquissimis de Meleagro carminibus fuerit. Quam cum Homerus omisisset, alii post Homerum omisere, pro qua Apollo Meleagri interfector exstitit, id quod de Eoeis et de Minyade Pausanias l. l. affirmavit. Hanc versionem ob eas, quas supra attuli, causas antiquissimam exstimare nolim. Huc accedit, quod Apollo Meleagro mortem inferens non conspicitur nisi in quibusdam Romanorum sarcophagis: Graeca artificia hoc habentia adhuc omnino

1) v. commentationem, quam E. Rohde (Paralipomena, Rhein. Mus. 50, 1895 p. 6 sqq.) de Furia publicavit.

ignota sunt[1]). Quae cum ita sint, Phrynichus cum „Pleuronias" conscriberet, primitivam fabulae formam primus carmine restituisse videtur, nisi forte, quem Pausanias non nominavit, Stesichorus illo prior Meleagrum taeda incensa interfectum cecinit. Valde mihi probantur, quae M. Croiset l. l. de Stesichoro scripsit, nisi quod ab eo totam fabulam immutatam taedamque inventam esse censet: immo Stesichorus et post Stesicorum Phrynichus fabulam expresserunt, sicut tum per ora Graecorum versabatur. Bacchylides ut hos non imitatus est, sed divulgatam, id quod facere fere solet, sua aetate fabulae formam, leviter quidem immutatam praebet, ita Homerum unum quadamtenus imitatus esse videtur — quadamtenus dico, cum una re eaque gravissima ab eo discrepet. Venatio Calydonia quidem apud Homerum et apud Bacchylidem eodem modo [2]) narratur, qua confecta de pelle apri inter Calydonios, i. e. Aetolos, et Curetes, Pleuronis incolas, acerrime certatur. Hactenus Homerus et Bacchylides conveniunt: abhinc aliter uterque fabulam effinxit, Homerus quidem ea ratione, quod Phoenicem senem Achilli persuadentem et de ira Meleagri loquentem inducit, cum apud Bacchylidem Meleager ipse triste fatum suum Herculi narret. Pleuronis, quae urbs Curetum est, nomen Homerus silentio praeteriit; Phrynichi autem tragoediam „Pleuronias" inscriptam fuisse iam supra commemoravimus. „Es kann somit ernstlich nicht bezweifelt werden, dass

1) Non assentior Mauritio Croiset l. l.: „. . . tué par Apollon. Voilà doc la tradition èpique et primitive: le tison n'y figure pas." Hic taedam non commemorari, non est mirum, quoniam alterutrum esse potest.

2) Apud utrumque nihil de Atalanta, quam a Meleagro amatam primus finxit Euripides (Cf. Robert l. l. p. 157). nisi forte Stesichorus eius quoque rei auctor habendus est (Cf. Kuhnert l. l. p. 2611). In antiquissimis vasorum picturis venatione Calydonia ornatorum Atalanta fere deest.

die Erzählung des Bacchylides im Wesentlichen dem Inhalt jenes Dramas entspricht und dass dieses somit nicht die Kalydonische Jagd, sondern die Belagerung von Pleuron behandelte." (Robert l. l. p. 156.) Mihi quidem satis certum videtur, et Phrynichum et Bacchylidem ex antiquissimo quodam carmine epico hausisse, quo res a Meleagro gestae celebratae erant (cf. Kuhnert l. l. p. 2592 et Athen. 4,172 E), Bacchylidem fortasse etiam ex Heracleïde.

Quod Bacchylides Meleagrum et Herculem apud inferos colloquentes finxit, idem a Pindaro cantatum esse Schol. Il. XXI, 194 docet. Apud hunc autem Meleager ab Hercule petisse dicitur, ut Deianiram sororem tutelae expertem in matrimonium duceret; apud Bacchydem Hercules ab altero quaerit, num soror ei sit, quae sibi nubat. Pindaricum carmen prius fuisse Robert p. 152 iudicat: „da . . . das einfachere und naivere im Allgemeinen das frühere zu sein pflegt." Argute et facete M. Croiset l. l. p. 74 observavit: „Evidemment en effet, si Méléagre, dans Pindare, invitait Héraklès à épouser Déjanire, c'est qu'il était frappé d'admiration à la vue de sa force et de son courage. Héraklès était donc le premier personnage de la scène: c'était sur lui que le poète appelait l'attention . . . Chez Bacchylide, la relation est renversée. C'est Méléagre qui est au premier plan . . . Si Bacchylide, comme on est tenté de le croire, est l'imitateur, il a pensé sans doute et avec raison, qu'en modifiant ainsi le caractère de la scène il se l'appropriait pleinement [1])." Ea de causa igitur, ut Meleagri laudes augeret, fabulam immutavisse iure Bacchylides existimari potest. Idem Croiset l. l. p. 75 in Minyade primum

1) Cf. etiam Weil, Les odes de Bacchylide, in: Etudes sur l'antiquité Greque. Paris 1900, p. 226.

hunc heroum apud inferos conventum expressum fuisse arbitratur. Quocum bellissime consentit, quod Robert (Nekyia p. 79) Orphei *κατάβασιν εἰς Ἅιδου* partem Minyadis fuisse suspicatur, quo Minyadem ad inferos pertinuisse confirmatur. Tamen ex vetustiore carmine Bacchylidem hausisse suspicor, de qua re infra disserendum erit.

Singulare quiddam Apollodorus II, 5, 12. 4 refert umbras specie Herculis perterritas diffugisse, Meleagro et Medusa exceptis [1]). Apollodori versionem antiquiorem putat Robert l. l. p. 153, qua de re spectanda mihi videntur quae Kuhnert l. l. p. 2606 extr. de Meleagro et Gorge, sorore eius, attulit.

Quodsi adhuc duae fabulae fuisse videbantur Meleagrum aut in pugna interfectum esse aut matris consilio diem supremum obisse, Bacchylidis carmine lis, quae adhuc sub iudice erat, discerni potest, cum Meleagrum, dum interfectum Clymenum spoliat, matris taedam comburentis facinore media in pugna exstingui videamus. Iam Welcker duas illas sententias hac ratione inter se coniungendas censuerat [2]). Clymeni illius nomen unde poeta sumpserit, incertum est. Nomen quidem in fabulis Graecis saepius occurrit: quin etiam apud Apollodor. I, 8, 1 Meleagri ipsius frater, Oenei et Althaeae filius, Clymenus appellatur [3]).

De Meleagro et de venatione Calydonia per Graeciam carmina vetera fuisse amphora illa, quam supra iam commemoravimus [4]), Clitiae et Ergotimi non minus quam de Thesei rebus gestis documento est, cum

1) V. etiam Robert l. l. Hermes 33 p. 152 extr.

2) Cf. autem Robert l. l. p. 153/154.

3) Etiam in heroibus Atticis, quos Midias in amphora (nunc in Museo Brit. deposita) pinxit, praeter Medeam, Aegeum, Philoctetem alios Oeneus et Clymenus una conspiciuntur.

4) V. p. 19 adn. 2.

etiam venatione Calydonia ornata sit. Miramur autem, quod vel canibus nomina adscripta sunt. Unde pictoribus ea nomina nota fuerunt? Certe ex carmine vetustiore epico. Quae sententia scholio in Apollod. 3, 4, 4, 4[1]) confirmatur, ubi nomina Actaeonis canum leguntur, quae ex carmine primitus desumpta esse facile intellegitur, cum in scholio versuum vestigia latere videas. Artifices autem nomina non adscripsissent, nisi carmen notissimum ea praebuisset: neque enim a pictoribus ipsis inventa ea esse neque memoria teneri potuisse nisi versibus servata apparet.

Meleager etiam tragoediae ab Euripide conscriptae nomen fuit, cuius aliquot fragmenta exstant. Quae nova attulerit momenta quaeque in fabula antiqua immutaverit, Robert l. l. optime exposuit.

De Ida et Marpessa. (c. 19 [20]).

Ea quam modo tractavimus fabula ad aliam nos perducit ab eodem Bacchylide cantatam. Apud Homerum enim l. l. Il. IX. v. 556 Cleopatra, Meleagri uxor, Idae et Marpessae filia, commemoratur. Idas autem

. . . . κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν
τῶν τότε—καί ῥα ἄνακτος ἐναντίον εἵλετο τόξον
Φοίβου Ἀπόλλωνος, καλλισφύρου εἵνεκα νύμφης·

Puellam igitur magno cum dolore parentum ab Apolline raptam Idas, cum deo obsistere ausus esset, sibi conciliavit. Ea sine dubio antiquissima fabulae forma est. Apollo hic deus funestus est, qui media e vita homines, praesertim iuvenes et puellas, aufert, sicut in proxima fabula Meleagro exitiosus est[2]). Apud alios scriptores ea fabula illi, quae de Pelope et Hippodamia

1) Ed. Hercher p. 87.

2) V. Preller, Robert p. 257 extr. et ibid. adn. 2.

narratur, simillima est. Euenus enim, Marpessae pater, procos filiae coëgisse dicitur, ut secum curru decertarent: omnes superavit et occidit. Idas vero cum aeque ac Pelops (Pind. Olymp. 1, 109 sp.) a Neptuno currum et equos celerrimos accepisset, regem vicit et Marpessam in Messeniam secum abduxit. Euenus autem illos frusta persecutus cum ad Lycormam flumen venisset, in undas se proiecit, ex quo tempore Euenus fluvio nomen erat. Deinde demum cum Apollo Marpessam sibi cupiens heroi adimere vellet, Idas deum aggredi ausus est. Neutro cedente Mercurius Jovis iusso ex Marpessa quaesivit, utrum sequi mallet. Illa virum mortalem praetulit, cum vereri se diceret, ne deus quando se aetate provectam iam non amaturus esset. (Paus. IV, 2, 5. Apollodor. I, 7, 8.) Apud Homerum Apollo Marpessa iam potitus est. Etiam in arca Cypseli (Paus. V, 18, 2) adscriptum erat:

Ἴδας Μάρπησσαν καλλίσφυρον, ἅν οἱ Ἀπόλλων
Ἅρπασε, τὰν Εὐανοῦ[1]) *ἄγει πάλιν οὐκ ἀέκουσαν.*

In artificiis veterum Idas et Marpessa, plerumque adstante Apolline, saepissime nobis occurrunt[2]) fabulamque eandem apud Bacchylidem, carmine (19 [20]) valde mutilato, reperimus. Nam non solum maior pars carminis deest, sed etiam fines versuum superstitum perierunt, ut restitui perpauca possint. En reliquiarum argumentum: Cum Idas Marpessam uxorem duceret, postquam equis a Neptuno datis mortem effugit, Euenus Pleuronem venit. Forma quidem, si initium respicimus,

1) Haec lectio novissima pro *τὰν ἐκ ναοῦ* est, quam Fröhner (Rhein. Mus. 47. 1892 p. 291) coniectura probabilissima assecutus est atque Hitzig et Blümner in contextum editionis suae receperunt. Fortasse iam Pausanias ipse errore oculorum deceptus nomen non intellexerat.

2) Cf. Otto Jahn, Archaeol. Aufsätze 1 et 5; Roscher s. vv. Idas et Marpessa.

epithalamii est et similis notissimo Theocriti carmini, quod inscribitur Ἑλένης ἐπιθαλάμιος: Jurenka utrumque Alcmanis epithalamia imitatum esse existimat. Tamen carmen Bacchylideum cum Blassio in dithyramborum numero habendum puto, qua de re infra erit disserendum. Si quidem Homerus, id quod non dubitem, fabulam tradidit, qualis antiquissimis temporibus efficta erat, certamen et mortem Eueni voluntariam postea inventa esse apparet. Quae si ita sunt, in hac quoque fabula Bacchylides narrationem sua aetate pervulgatam secutus est. Nescio autem, an Simonidem avunculum imitatus sit, qui eandem fabulam tractaverat.

De Hercule, Deianira, Jole (c. 16 [17]).

Deianirae, quam Hercules apud inferos a Meleagro quaerit, etiam in alio carmine (16) mentio fit. Nota est fabula de Hercule et Jole, cuius amore incensum heroem sibi recuperare conata perdit Deianira inscia perniciosi doni a Nesso accepti. Optime de hoc carmine Crusius disseruit (Philolog. 1898, p. 167 sq.), cuius commentationem pluribus afferre non opus est. Eandem fabulam Sophocles in Trachiniis tractavit. Bacchylides autem, quamquam ineunte carmine plura polliceri videtur, fabulam ipsam paucis narrat. Recte Jurenka (ed. p. 113) Ovidium (Met. IX, 136 sqq.) carmen Bacchylideum fortasse ante oculos habuisse observavit; Ovidii locum enim ex illo carmine latine versum putes:

Victor ab Oecbalia Cenaeo sacra parabat
Vota Jovi, cum fama loquax praecessit ad aures,
Deianira tuas — — — — — — — — — —
Amphitryoniaden Joles ardore teneri —

Tum, pergit Bacchylides, Deianira numine invicto commota consilium funestum cepit et Herculi vestem exitiosam misit:

Φθόνος εὐρυβίας νιν ἀπώλεσεν.

Poeta fabulam tantum quasi tangit, certe quia audientibus notissima fuit, nec Licham quidem commemorat, cuius partes apud Sophoclem haud parvi momenti sunt.

De Proetidibus (c. 10 [11])

Fuerunt in Arcadia Lusi oppidum et Lusus fons et sacrum Dianae, cui ibi nomen *Ἄρτεμις Ἡμέρα* sive *Ἡμερασία* erat. Id cognomen dea sumpserat, quod Proeti filias insania liberavisse dicebatur (Callim. Dian. 236; Pausan. VIII, 18,3). Cui sacrum illud grato animo Proetus instituisse traditur. Fabulam Bacchylides sic narrat: Proeti filias, quod „Iunonis contempserant numen", furor et insania incessit, ut errantes in silvas et loca remota se abderent.[1]) Vitaverunt Argos et Tirynthem modo conditam, cuius originem hoc loco poeta nos docet. Tandem cum menses tredecim iam errassent, Proetus pater, postquam desperatione adductus mortem sibi consciscere conatus est, Dianam imploravit, ut luctus finem faceret et puellarum misereretur. Illa Iunonis iram placavit et puellas sanavit.

Primitus haec fabula in carmine illo antiquo inerat, cui nomen erat *Ἀμφιάρεω ἐξελασία*, at longe alia ratione narrabatur. Bacchus enim, non Iuno, mulieribus Argivis omnibus, cum dona eius contempsissent, furorem iniecisse dicebatur. Quod malum Melampus expiavit[2]), mercede quidem magna: duas enim partes terrae postulavit et accepit. (Diodor. IV, 68,4; Apollodor. I, 9, 12, 8; Pausan. VIII, 18,4.)

Aliam fabulae formam praebent Hesiodus (frgm. 52—54) et Herodotus (IX, 34). Baccho contempto furor filias regis et Melampodis auxilio semel repudiato omnes mulieres invadit. Simillima Bacchylidis narratio

---

1) V. Curtius, Griech. Gesch. I[5] p. 86.

2) Paucis Alexis ap. Athenaeum VI, 340 a [Kaibel].

est ei, quam ab Acusilao (apud Apollodor. II, 2. 2, 2), Pherecyde (in Schol. Od. XV, 225), Probo (ad Vergil. Ecl. 6,48) accipimus, nisi quod hic quoque Melampus adiutor exsistit.[1])

Ab omnibus igitur Bacchylides differt, quod Proetum ipsum filias ad sacrum Dianae et Lusum fontem ducentem facit, id quod Melampodem alii scriptores fecisse referunt. Num poeta noster consulto Melampodis personam praeterierit, dubium videtur, at hanc mythi formam Lusis ipsis valuisse verisimile est, cum Proetus ibi sacrum Dianae instituisse diceretur. Nescio an Bacchylides eam ideo amplexus sit, quod et simplicior est et quia Diana, quippe quae victoriam tribueret, celebranda erat.

Rem miram veteres de fonte narrabant, cuius aqua Proetides ut Bacchi contemptrices expiatae esse tradebantur. Quam qui bibebat tanto vini taedio capiebatur, ut ne odorem quidem perferre posset. Ut Ovidius docet (Met. 15, 322):

Clitorio quicumque sitim de fonte levavit,
Vina fugit gaudetque meris abstemius undis.

Et Vitruvius (XIII, 3, 21) fontem in specu fuisse dicit et epigramma ibidem in lapide incisum adfert, in quo fons *μισάμπελος* appellatur[2]) Fontis nomen Bacchylides primus nos docuit; Lusus et, quem Iurenka epitheto *καλλιρόας* adductus fluvium existimavit. Ante hos paucos annos viri doctissimi Dörpfeld et Wilhelm loca illa investigaverunt: contigit iis, ut sacrum Dianae reperirent.

---

1) Plura de fabula ipsa v. Roscher Lex. s. Melampus et idem in: Abhandlgg. d. Kgl. Sächs. Gesellsch. 1896.

2) V. etiam Westermann Paradoxogr. p. 186; Preger, Inscriptiones Graecae metricae n. 215.

Fontem quidem ruinis obrutum recognoscere non potuerunt [1]).

De Ione (c. 18 [19]).

Io, Bacchi proavia, et Bacchus ipse eodem carmine celebrantur. Quod cum nequaquam ab aliorum scriptorum ratione differat, qui eandem fabulam tractaverunt, unum adferre mihi liceat, quod I. C. Hoppin (Harvard-Studies in Classical Philology XII, 1901, p. 335), cum hoc carmen, Aeschyli Supplices et Prometeum atque nonnullas vasorum picturas spectet, Prometheum non multo ante a. 468 a. Chr. n. conscriptum esse conicit. Adfert etiam ectypum hydriae q. d. nondum publicatae, nisi quod Petersen (Röm. Mitteilungen 1893 p. 328) eam paucis commemoravit. Ista hydria anno circiter 470 a. Chr. n. confecta iuvencam ostendit, qualem Bacchylides eodem fere tempore appellat Ionem

καλλικέραν δάμαλιν.

Contra Aeschylus in Prometheo v. 612:

κλύεις φθέγμα τᾶς βουκέρω παρθένου,

nam „Io is no longer represented as a heifer but as a horned maiden“, ait Hoppin. Nempe necessitas ludi scenici id poscebat: bestias enim loquentes in scenam deferre Graeci verebantur [2]) Eodem fere tempore etiam vasorum pictores, certe aspectu fabulae dramaticae commoti, puellam cornutam depingere coeperunt, unde Hoppin illud coniectura assecutus est. Neque vero persuadere mihi potest. Demonstrandum enim erat, ante Aeschylum neminem ex poetis dramaticis huic fabulae operam dedisse. Mea quidem sententia autem

---

1) Accuratius de Lusis et de sacro Dianae nuper reperto scripserunt W. Reichel et A. Wilhelm (Jahreshefte des Oesterr. Archäol. Instituts. IV.)

2) Simile Poll. IV, 141.

fabula, cum ad Dionysum spectet, certe in dithyrambis, fortasse etiam in tragoediis principibus fuit.

Quae iam restant fabulosa apud Bacchylidem, paucis exponere mihi liceat, praesertim cum nihil a notis fabulis differant et a poeta ipso plerumque leviter tacta sunt.

Atque bis Hercules leonis Nemei victor commemoratur c. 13 (14) v. 46 sqq. et c. 8 (9) v. 8 sq. Ibidem c. 8 (9) insequentibus deinceps versibus poeta originem Nemeorum narrat. Quae ab heroibus septem illis Thebas aggredientibus instituta esse dicuntur, cum manibus Archemori[1]) a dracone oppressi, cuius interitum ipsis

σᾶμα μέλλοντος φόνου (v. 14)

esse intellegebant, honorem habere vellent. Frustra Amphiaraus tamen rerum futurarum providus suadet, ut reverti malint: spes Adrastum et caeteros obcaecat. Certe Bacchylides etiam carmen illud cyclicum noverat, quod inscriptum erat Thebais vel *Ἀμφιάρεω ἐξελασία*[2]).

Alio loco Homeri vestigia calcamus c. 12 (13), ubi originem Achillis et Aiacis, Achillis iram, Aiacis fortitudinem, Hectoris audaciam naves Graecorum incendentis reperimus, ut tota fere Ilias ante oculos versetur.

Nec non Homeri nos monet carmen 13 (14) *Ἀντηνορίδαι ἢ Ἑλένης ἀπαίτησις*, quamquam res non ex Homero ipso, sed aliunde desumpta est, cum ab Homero tantum leviter tangatur. (Il. XI, 138; v. etiam VII, 347 sqq.[3]). At sine dubio fabula cycli q. d. epici pars fuit. Ulixes enim et Menelaus ante bellum Troianum Troiam venisse dicuntur, ut Helenam reposcerent, quos Antenor[4]), Troum princeps,

---

1) V. Roscher s. v. Archemorus.

2) V. Welcker, ep. Cycl. suo loco et Bethe, Theban. Heldenlieder, Leipz. 1891.

3) Cf. Hor. Ep. 1, 2, 9: Antenor censet belli praecidere causam. Etiam Ov. Met. XIII, 200 sq.

4) Roscher s. v. Antenor.

et Theano, uxor eius Minervaeque sacerdos, hospitaliter receperunt[1]). Reges Graecos re infecta domum revertisse quis est qui nesciat? Videmus igitur apud Bacchylidem — imaginem enim poeta ante oculos proponit — Menelaum et Ulixem Antenoris hospites, quos Theano in Minervae ducit deam precaturos. Deinde in regia Priami et in contione Troum Helenam frustra reposcunt. Menelai oratione carmen clauditur, immo abrumpitur. Quid Antenoridae, i. e. Antenoris filii, sibi velint, tot versibus mutilatis satis perspici non potest magnumque incommodum putandum est, quod Sophoclis tragoedias, alteram, cui nomen Ἀντηνορίδαι erat, alteram Ἑλένης ἀπαίτησιν, integras non accepimus, si modo incorrupto carmine Bacchylideo frui non licet. Quod U. de Wilamowitz-M. carminis finem deesse censuit, Crusius iure mihi quidem negare videtur, de qua re infra etiam disserere mihi liceat.

De Croeso (c. 3.)

Jam reliquum est, ut carmen valde memorabile respiciamus, quod Bacchylides non narratione ex fabulis deorum et heroum desumpta, sed fabula ex rerum historia profecta ornavit. Croesi enim sortem miram canit, qui sexaginta fere annis ante Bacchylidem regno et opibus floruerat.

Cum Sardes obsidione a Cyro graviter premerentur, — ait poeta — Croesus regnum et salutem desperans, ne cum suis in manum victoris veniret, rogum pro aula regia exstruxit. Quem cum uxore et filiabus conscendit et Apolline, quippe qui ingratum se praebuisset, invocato accendere iussit Habrobatam. Tum puellae flentes et interitum deplorantes ad matrem manus tenderunt, [2])

1) Scholl. Il. III, 206.

2) Utrum poeta delicatum illud ipse invenerit an ex artificum operibus hauserit nescio. Monet hoc nos Niobidarum, quas quidem statuas multo post Bacchylidem fictas esse non ignoro. At similia iam antea fuisse potuerunt.

iamque ignis ligna perrupit, cum Juppiter atra nube advecta imbrem in incendium demisit et flammas exstinxit. Apollo autem senem cum suis in Hyperboreos deduxit, ubi pietatis praemiis frueretur.

Atque quae adhuc de Croeso, maxime ex Herodoto (I, 86 sqq.) nota erant, valde a carmine Bacchylideo differunt. Apud Herodotum Croesus a Cyro victore captus cum Lydis quattuordecim [1]) ad rogum condemnatur et nomine Solonis ter vocato Cyri iussu servatur, postquam imber sereno ortus flammas exstinxit. Herodotum scriptores plerosque ut Xenophontem (Cyrop. 7,2), tamen rebus quibusdam paulisper immutatis et rogo plane omisso, Diodorum (IX, 33, 34), Nicolaum (frgm. 68. Fragm. hist. Graec. III p. 409) secutos esse optime demonstravit R. Schubert (Gesch. d. Könige von Lydien. Breslau 1884, p. 118 sqq.). Unus Ctesias ab Herodoto dissentit, cum Persarum ingenii et morum gnarus nihil de rogo commemoret. Immo Croesum a Cyro in vincula coniectum esse memoriae tradit, ter autem quaterve a deis, vel magna cum tempestate, liberatum esse, qua re commotus Cyrus illum dimisisset. Vincula autem a Croeso Apollini Delphico consecrata esse etiam Herodotus refert. Quantopere in ea re et aliis quibusdam ad hanc narrationem spectantibus Herodotus a se ipse dissentiat, Schubert l. l. p. 111 item docuit. Herodotus enim duobus fontibus usus est, cum quae ex Lydis audiverat et quae Delphis compererat, inter se conciliare studuerit (v. Schubert p. 116), ita tamen, ut ad narrationem excolendam Delphi plus valerent [2]). Sic res regum Lydorum, maxime Mermnadarum, ad sententiam sacerdotum Delphicorum effictae et commentis

1) De fabuloso numero septenario v. p. 7, adn. 2.

2) V. Schubert l. l. et Adolfus Bauer, Die Entstehung des Herodoteischen Geschichtswerkes. Wien 1878, p. 108 extr.

cuiuslibet generis ornatae ad oraculum Apollinis revocatae sunt [1]). Quo factum est, ut iam apud Herodotum res a veritate rerum recesserit et in fabulam abierit propter id ipsum, quod alioqui laudi est Herodoto, quodque Burckhardt (Griech. Kulturgesch. 2^4 p. 441) his verbis exprimit: „Seine grosse Frische stammt grösstenteils daher, dass er mündliche Erzählungen aufzeichnet". Inde quod quae per ora hominum pervulgata et sensim immutata erant concripsit, facile intellegitur, quomodo res Croesi spatio temporis haud ita magno interiecto adeo mutatae ad aures Herodoti pervenerint. Adde quod Croesum devictum et abductum Graeci brevi tempore e conspectu amiserunt. Quae cum ita sint, non est, cur iam apud Bacchylidem sortem Croesi fabulosam videri miremur, quamquam poeta Ceus multo maior natu Croesique ab aetate propius abest quam Herodotus. Ille non minus quam hic auctoritatem sacerdotum Delphicorum secutus est, cum nihil aliud innotuisset, quam quae illi de deo suo eiusque numine et potentia pervulgata voluerunt [2]).

Atque quod Cyrus adversarium in rogum imposuit, iam in antiquorum scriptorum numero fuerunt, qui tale facinus a Persarum religione ac more abhorrere putarent, quippe qui ignem venerarentur et adorarent, quin etiam Herodotus ipse de ea re dubitare se significat. V. etiam Nicolaum l. l. Quare primus iam Rochette (Mém. de l'Institut 1847, T. 17, 2, p. 271 sq.) et alii, maxime Duncker (IV^5, 330 sq.) non Cyrum, sed ipsum Croesum sibi rogum exstruxisse suspicati sunt. Cui rei praeter

1) V. etiam C. Niebuhr, Einflüsse orientalischer Politik auf Griechenland. (Mitteilungen d. Vorderasiat. Gesellschaft Jg. 4, 1899, No. 3.

2) Herodotum autem praeterea narrationibus Jonicis usum esse suspicatus est Ed. Meyer, Forschungen zur alten Gesch. II, p. 236 sqq.

tabulam in pariete domus Pompeianae inventam amphora picturis ornata[1] documento fuit. In utroque artificio Croesus Sardanapalli exemplum imitatus ornatu regio indutus solus in rogo sedet, in amphorae pictura etiam pateram dextra tenens libat quasi ipse se hostiam deo vovens, coronam in capite, sceptrum laeva manu gerens. In imo rogo servus vel familiaris quidam adscripto nomine *Εὔϑυμος* sive facibus ignem auget sive aquam in ignem spargit: id enim dignosci non potest.

Hoc vas cum Bacchylidis carmine optime consentit, nisi quod apud poetam Croesus cum suis omnibus, uxore et filiabus rogum ascendit et nomen servi *Ἁβροβάτας* esse videtur[2]. Sic sententia illa, quam Rochette in medium proposuit, nunc Bacchylidis carmine denuo confirmatur.

Haec igitur antiquior fabulae forma non minus quam Herodotea Delphis profecta est: utraque ad Apollinem efferendum et praedicandum inventa est. Initio autem fama erat, Croesum cum suis ad Hyperboreos sublatum esse, ubi Apollo hiemare dicebatur. „Wie die Entrückung des Kroesus zu den Hyperboreern sonst nicht nachweisbar ist, so zeigt kein anderes Zeugnis mit gleicher Deutlichkeit, dass das Hyperboreerreich als ein seliges Jenseits der Apolloreligion

---

1) Parisiis in regia „Louvre“ q. d. V. Monum. dell' Instit. I, 54. In hac pictura formam adscripti nominis **ΚΡΟΕΣΟΣ** miramur neque vero utrum lapsu penicilli id factum sit necne discerni potest. In Boetiaet in Thessalia *οε* pro *οι* iuterdum scriptum esse videtur. V. Cauer, Delectus inscr. propter dial. memorabilium [2] Nr. 287, ubi alia eius rei exempla adferuntur. Simili modo apud Thessalos *οι* in *οε* (Cauer 409,12) et *αι* in *αε* mutatum (ibid. 409,19, 395,3) reperitur.

2) In ectypo nomen, cum mutilatum sit, certo restitui non potest. At Kenyon nomen ex Aeschyl. Pers. 1072 prospere restituit.

galt.“ (Crusius l. l. p. 155) Apollo enim in numero eorum deorum habebatur, quorum ἀποδημίαι et ἐπιδημίαι commemorabantur, de qua re v. Roscher, Apollon u. Mars p. 32; Preller-Robert pp. 244 et 265. Hyperboreorum terram etiam Pindarus (Pyth. X, 41) beatam appellat. In Hyperboreos igitur Croesum sublatum esse sacerdotes Delphici initio docuerunt, quam fabulam partem carminis Bacchylidi noti fuisse, quod Aristeae poetae tributum sit, Crusius l. l. censet.

Mea quidem sententia ea fabula diutius valere non potuit, cum primum vivere in manu Persarum Croesum constitit, id quod per Graeciam non multo post innotuisse puto. Nempe Herodotus ipse (III,14) ab Aegyptiis audisse sese dicit, Croeso comite Cambysem in Aegypto fuisse. Inde a sacerdotibus Delphicis rem aliter verti oportuit et altera fabulae forma nobis adhuc nota exstitit. Tum vero bellis Persarum prospere gestis odio, quippe qui ne Delphico quidem sacro pepercissent, factum est, ut Graeci Cyrum rogi auctorem fuisse comminiscerentur.

Quodsi in Graecorum proverbiis *Κροίσου τάφος* exemplum splendoris eximii significat, hoc ex ipsa Croesi divitiarum notione profectum mihi videtur.

Certe tantum constare existimo, Croesum, cum se suosque flammis dediturus esset [1]), casu quodam mirabili, qualem Herodotus nescio an recte memoriae tradiderit, servatum et cladi suae superstitem fuisse, tamen ut Persarum captivus esset.

Jam in fabulis colligendis si fragmenta et codice Aegyptio et apud scriptores veteres servata paucis perlustramus, occurrunt nobis carminum tituli et nomina ut Cassandra (c. 20 et fragm. 29. 32) et Laocoon (frg. 9),

1) Aliter quidem Schubert l. l. p. 126 sq.

quorum utrumque ex Iliuperside fluxisse potest, Philoctetes (frg. 7), cuius fons fortasse *Κύπρια ἔπη* vel Leschae Ilias parva erat [1]. Celeus (frg. 3), quem ex carmine perantiquo Attico desumpsit poeta Ceus [2], Eurytion fonte plane incerto (frg. 44), Tydeus (frg. 41), Nioba (frg. 46), Europa (frg. 10), de qua schol. Il. XII, 292 dicit: *ἡ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ καὶ Βακχυλίδῃ*. Dubium autem est, utrum Bacchylides Hesiodum secutus an uterque fonte epico vetustiore [3] usus sit. Etiam Aristaeum in carminibus Bacchylidis fuisse (frg. 45) testatur schol. Apollon. Rhod. II, 498, cui si fides habenda est, Aristaeos quattuor poeta distinxisse dicitur, de qua re accuratius disputatum invenias in Rosch. lex. s. Aristaeus. Est autem deus sive heros, quem Cei propter magnam eius in se benevolentiam summis honoribus venerabantur, cuius caput etiam in nummis Ceis reperias [4].

Poeta noster, si totam materiem hanc commentatiuncula tractatam respicimus, vetustiorem fere mythorum formam tradidit, quam quae singulorum adhuc nota erat. Intellegitur hoc cum ex fabulis de Minoe et Theseo, de Hercule et Meleagro, tum, quae maxime miranda est, ex narratione illa de Croeso rege efficta.

---

1) V. Sophocl. Philoct. ed. Schneidewin-Nauck [8] p. 3.

2) Quamquam hymnus in Cererem hanc fabulam habet, inde poetam materiem petisse nego. Haec enim fabula est „ein altes Thema attischer Gesänge“ (Roscher lex. s. Aristaeus), quos cantus Bacchylidem optime cognitos habuisse iam supra diximus. V. Preller, Demeter u. Persephone 106, Anm. 71.

3) Eiusmodi fontes commemorat Erw. Rohde Rh. Mus. 50. 1895; p. 622 adn.

4) V. Catalogue of Greek coins in the Br. M. Crete etc. p. 89 sqq. Apollo et Aristaeus una appellantur in inscriptione Cea v. Boeckh, C. J. Gr. II, 2364.

Jam si fontes perscrutari conamur, unde poeta fabulas suas acceperit, primum ante oculos ponendum est, nullis aliis quam epicis fontibus Bacchylidem usum esse. Lyrici enim poetae non minus quam tragici ex carminibus epicis hauserunt. Omnis enim Graecorum poesis et epica et lyrica et dramatica in mytho posita est, quo maxime ab aliarum nationum litteris differt. Nulla alia gens eiusmodi fabulis adeo abundat; „Die wahre unerreichbare Grösse des Griechen ist sein Mythus; etwas wie seine Philosophie hätten Neuere auch zu Stande gebracht, den Mythus nicht". (Burckhardt l. l. p. 378). Is fons locupletissimus lyricis etiam poetis oblatus est, id quod cum Simonidis Danae, Pindari epinicia, alia, tum Bacchylidis dithyrambi, genus adhuc prorsus ignotum, nos docent, cum paene forma tantum, non re ipsa a carminibus epicis distent.

Sed perlustremus Bacchylidis fontes, quos omnium carminum si minus certo, tamen probabilem in modum eruere licebit. Ac primus quidem Homerus dicendus est, cuius ex Iliade (XIII) pugnam ad naves commissam Bacchylides in carmen suum 12 [13] recepit. Originem vero Achillis et Aiacis eodem carmine narratam fortasse ex cyclo epico petitam esse existimo: dubito autem, utrum *Κύπρια ἔπη* an Asii Samii carmen an simile quoddam poeta usurpaverit. Iam si requirimus, quaenam praeterea ex cyclo [1]) poeta hauserit, Antenoridae (c. 13 [14] ad eadem Cypria, Philoctetes (frg. 7) sive ad Cypria sive ad Iliadem parvam, Deianirae consilium exitiosum (c. 16 [17]), ni forte Archilochi carmen deperditum (Philologus 1, 148 sq. [Schneidewin]) aut Pisandri *Ἡράκλεια* (Apollod. 1, 8, 5) fons fuit, ad

1) De cyclo v. Procl. p. 233 sqq. Westphal; etiam Welcker, D. ep. Cycl.

Οἰχαλίας ἅλωσιν revocanda videntur. Incertum autem est, num *Οἰχαλίας ἅλωσις* Herculis mortem continuerit. Quam cum nec Bacchylides enarret, reapse carmen cyclicum ei exemplar fuisse videtur. Deianirae coniugium autem vetustissimis Aetolorum carminibus cantatum erat: inde etiam Meleagri et Herculis habitum apud inferos colloquium desumptum puto (c. 5).

Archemori mortem et Nemeorum originem (c. 8 [9]) Bacchylidem aut ex Thebaide cyclica[1]) aut ex hymno quodam in Archemori honorem composito desumpsisse arbitror. Nemeae etiam Hercules leonis victor sine dubio adea notus et cantatus fuit, ut Bacchylidem Cinaethonis vel Pisandri *Ἡράκλεια* usurpasse negem. De Theseo (c. 16 [17] et 17 [18]) carmina epica pervetusta et per totam Atticam cantata poetae ante oculos versata esse existimo eius generis, unde etiam Atthidum scriptores hauserunt. Minoem vero ad Damnonis filias adventantem (c. 1) et Aristaeum Ceae educatum Ceosque adiuvantem (frg. 45) poeta sine dubio iam puer a civibus suis narrari vel cantari audiverat. Aristaeum enim hymno epico in insula celebratum esse verisimillimum est. Fuerunt eiusmodi hymni minores per Graeciae urbes cantati: Ptolemaei liber erat *περὶ τῶν κατὰ πόλεις τοὺς ὕμνους ποιησάντων* [2]). Certe etiam Lusis hymnus in honorem Dianae compositus fuit, unde sanationem Proetidum a Bacchylide (c. 10 [11] petitam esse probabile est, cum Melampodis, qui apud ceteros scriptores omnes virginum vindex dicitur, hic mentio nulla fiat et apud Bacchylidem solum Diana Hemera insaniae medeatur.

Haec habui, quae de fontibus Bacchylidis dicerem,

---

1) V. Kinkel. Frgm. ep. gr I p. 9 sq.

2) V. Athenaeus 14, p. 626b: cf. O. Rossbach, Epica (Neue Jahrb. f. Phil. 1891 p. 84 adn. 7).

quos quidem ad unum omnes epicos fuisse constat. Poetas tragicos nequaquam secutus est; immo hi non raro iisdem fontibus quibus Bacchylides usi esse videntur.

Bacchylides, quantum cognosci potest, paulum immutavit et fabulas sua aetate notas sicut noverat tradidit. Unum illud an ipse invenerit nescio, quod Meleagrum ipsum fata sua narrantem et Herculem de Deianira interrogantem induxit.

Harum igitur fabularum numerum Bacchylides epiniciis inseruit [1]), de quibus quaenam inter certamina sive victores et fabulas intercedant rationes subtiliter demonstrasse mihi quidem videtur Jurenka (Ed. praef. p. XV.), quamquam ad nonnulla carmina revocari posse existimo, quae R. C. Jebb de carmine V iudicat (Mélanges Henri Weil p. 233): „Pindare . . . aurait rendu l'enchaînement plus clair; il aurait ménagé la transition avec plus d'art et plus de douceur.“ Facete de eadem re Crusius l. l. p. 157 disseruit.

At multo maiore studio digna carmina inde a carmine XIII (XIV) videntur, quippe quae iustis de causis Blass in numero dithyramborum habeat, quod genus adhuc plane ignotum fuit. Subtiliter de his Bacchylidis dithyrambis disseruit Blass in praefatione editionis suae p. VI sq., cuius argumentatione refutari mihi videntur, quae U. de Wilamowitz-M. l. l. (Gött. gel. Anz. 1898,2) opposuit. Eidem viro doctissimo (Die Textgeschichte der griech. Lyriker, in: Abhandlgg. d. Götting. Gesellsch. d. Wiss. Phil.-Hist. Kl. N. F. Bd. 4. 1900/01) concedere non possum, hos dithyrambos, simodo dithyrambi essent, haud integros esse: tantum eorum superesse, quantum ad modos musicos servandos

---

1) v. Blass Rh. Mus. 53. 1898 p. 286 sqq.

sufficeret. Cui sententiae ipsum carmen. de Theseo et Minoe repugnat, quod integrum esse nemo negabit. De „Antenoridis“ autem, quo carmine vir doctus maxime offenditur (Gött. Gel. Anz. l. l.), rectius iudicasse mihi videtur O. Crusius (Philol. l. l. p. 165): „Mit dieser Ansprache des Menelaos klingt das Gedicht aus ohne feste Schlussaccorde. Mancher Leser wird sich erinnert fühlen an gewisse Lieder des Horaz, die in ganz ähnlicher Weise mit paraenetischen Reden nicht sowohl abschliessen, sondern abbrechen, z. B. C. I 7 oder Epod. I. 13.“ In eandem sententiam copiosius disseruerunt D. Comparetti (Mélanges Weil p, 25 sqq.) et William K. Prentice (De Bacchylide, Pindari artis socio et imitatore. Dis. inaugur. philol. Halis Sax 1900 p. 156 sq.).

Quodsi haec carmina recte in numero dithyramborum habenda sunt, id quod dubitare vix licet, sequitur, ut dithyrambus partem fabulae continuisse videatur. „Poeta imaginem quasi pictam nobis praebere volebat . . . quasi media in voce consistit poeta, Pictura enim perfecta est . . .“ (Prentice l. l.)

In dithyrambis antiquissimis, unde tragoediam ortam esse docet Aristoteles (Poet. 4), fabulam Dionysiacam solam tractatam esse notissimum est. Quamquam Sicyone perantiqua eius generis carmina in Adrasti honorem fuisse dicuntur. (Burckhardt l. l. p. 210). Et posteris temporibus magis magisque alii dei et heroes dithyrambis celebrabantur.

Neque vero post tragoediam inventam dithyrambus esse desiit, immo praeter tragicum lyricus exstitit, quem ab Arione institutum esse Herodotus I, 23 testatur [1]), „indem er zuerst die Aeusserung dionysischer Erregung, deren Charakter von jeher jauchzende Lust und wilde

1) V. etiam Procl. Chrestomath. ed. Westphal p. 244.

Trauer gewesen war, zu Korinth in die Form des Chorgesanges brachte und ihr so ein kunst- und würdevolles Gepräge gab. Es waren kyklische Chöre, d. h. solche, die sich im Kreise um einen Altar bewegten, und hier herrschte nicht die Flöte, sondern die Kithar vor." (Burckhardt l. l. p. 193). Etiam chorus tragoediae circa aram, thymela quae dicebatur, incedebat. Et profecto illud genus, a quo tragoedia orta est, ipsum rursus tragoediam imitatum est, dithyrambique in theatro agebantur (Polyb. IV, 20,9), ita tamen ut toti a choris cantarentur. cum in tragoedia histrionum sermones et chori cantica alternent. Bacchylidis dithyramborum is, quo Aegeus choro respondens res a Theseo gestas refert (c. 17 [18]), maxime fabulam dramaticam sapit maximeque omnium documento est, dithyrambos non solum cantatos, sed in scaena, immo in proscaenio [1]) actos esse.

---

1) v. Bethe in: Jahrbuch d. Kaiserl. Deutsch. Archaeolog. Instituts 15. 1900 p. 79 sqq. et Dörpfeld ibid. 16. 1901. De dithyrambo tragoediae fonte v. etiam E. Reisch in: Festschrift f. Th. Gomperz 1902 p. 469 sqq.

Theses.

1. Apud Bacchylidem c. 1 v. 113 (Blass²), ubi in frgm. 1ª (Kenyon) *ΑΡ . . . Σ* cognosci potest, non *ἀρήϊος* (Blass), sed *ἀραιαῖς* legendum esse.
2. Revera Croesum, cum salutem desperans ipse incendio sese interimere vellet, casu quodam mirabili servatum esse vivumque in manus Persarum venisse.

Curriculum vitae.

Natus sum **Henricus Preuss** Insterburgi a. d. VIII. Kal. Nov. a. pr. s. LX patre Theodoro, matre Udalrica e gente Born, quos adhuc mihi salvos esse ex animo laetor. Fidem profiteor evangelicam. Postquam inde a primis litterarum rudimentis gymnasium urbis patriae absolvi, in quo etiam patre praeceptore usus sum, autumno a. pr. s. LXXVIII academiam Regimontanam adii ibique litteris, maxime Graecis et Latinis operam dedi. Quo tempore me docuerunt viri doctissimi

Ludw. Friedländer, Gust. Hirschfeld †, Henr. Jordan †, Arth. Ludwich, Franc. Rühl, Jul. Walter.

Per quinque semestria proseminarii philologici tum modo conditi, per duo seminarii sodalis fui.

Inde pridie Kal. Nov. a. pr. s. LXXXV pro facultate docendi examinatus tirocinium paedagogicum in gymnasio Tilsensi subii et in compluribus deinceps provinciae patriae scholis munere praeceptoris functus sum. Interea aliquamdiu otiosus cum essem, studia geographica mea et germanica promoverunt viri doctissimi

Frid. Hahn et **Osc. Schade.**

Postremo Rastenburgium me excepit, cuius oppidi in gymnasio ab Alberto duce condito munus magistri ordinarii vere a. pr. s. XCVI ad me delatum est. At iam insequenti anno valetudo aliam vitae condicionem prospicere coegit. Quod postquam Ministerii praepositi permissu mihi contigit, aestate a. MCM schola relicta in officio bibliothecae Regiae Regimontanae versor.

Magistris autem meis omnibus, imprimis **Arthurio Ludwich,** qui mihi auctor fuit, ut hanc commentationem conscriberem, nec non viris doctissimis **Ludovico Jeep, Ottoni Rossbach, Augusto Brinkmann,** qui consilio et benevolentia me adiuverunt, gratias ago quam maximas semperque habebo.